

infallibile in aliqua præscientia, quæ supponitur, quia juxta illam sententiam, nulla supponitur ad efficaciam talis motionis, sed potius Deus præscit ex tali motione semper sequi consensum, quia motio illa natura sua est efficax ad id præstandum. Nullum ergo fundamentum infallibilitatis excogitari potest. Quod explicatur aliter, nam omnis infallibilitas fundatur in aliqua impossibilitate; illud enim est infallibile, quod falsum esse non potest; si ergo est infallibile quia, posita illa motione, volumus consentire, impossibile est sub aliqua ratione ut oppositum contingat; ergo saltem in sensu composito debet esse impossibile, quia in alio non est, ut per se constat; ergo repugnat voluntatem habere potentiam ad resistendum illi moti in sensu composito, alias haberet potentiam ad impossibile, et ad faciendum falsum id quod est infallibile.

Dicetur fortasse illam consecutionem, quod voluntas consentiat posita tali motione, solum esse infallibilem moraliter, quæ infallibilitas non fundatur in impossibilitate simpliciter contrarii eventus, ita ut ille implicet contradictionem, sed in alio genere efficacitatis moralis, ideoque non repugnare quod in voluntate relinquatur potestas resistendi, quæ proportionali modo dici potest esse potentia physica, non moralis. Sed hoc neque sufficit, neque dicitur consequenter aut cum fundamento quod intelligi possit. Primum probatur, quia efficacia illius auxilii satis est ut Deus absoluta voluntate præfinit, ut voluntas humana consentiat vel efficiat actum ad quem sic movetur; ergo tam infallibile est voluntatem consentire posita illa motione, quam est infallibile voluntatem humanam efficere quod Deus absolute prædefinivit, et consequenter tam impossibile est non sequi consensum ex illa motione, quam est impossibile non fieri quod Deus absolute decrevit ut fiat. At vero voluntatem absolutam Dei impleri, non tantum est infallibile moraliter, sed omni modo, ita ut oppositum sit simpliciter impossibile, et implicans contradictionem. Et ideo Scriptura non solum dicit neminem resistere voluntati divinæ, sed etiam neminem esse qui possit resistere; ergo eodem modo de illa motione sentiendum est et loquendum. Est enim illa motio, juxta hanc sententiam, quasi proxima et completa virtus, per quam Deus voluntatem illam præficientem exequitur. Unde etiam constat illud non consequenter dici, quia efficacia illius

motionis dicitur esse in determinanda voluntate ad agendum; et ad declarandum hanc determinationem esse omnimodam, physica appellatur; infert ergo impotentiam physicam ad oppositum. Item, ideo dicitur determinare, quia facultas indeterminata non potest indeterminatum effectum producere; ergo, stante illa determinatione, non manet potentia ad oppositum in sensu composito, quia, si talis potentia maneret, per illam esset voluntas adhuc indeterminata ad utrumque oppositorum. Præterea, illa motio dicitur esse actualis concursus primæ causæ, ut prius positus vel saltem inchoatus; posito autem tali concursu, non moraliter tantum, sed etiam metaphysice impossibile est, et implicat contradictionem, effectum non sequi aut impediri; ergo, illa motione posita, non solum semper sequitur consensus, sed etiam non potest voluntas sic mota resistere, quominus consentiat.

Tandem est alia difficultas, tam in hac responsione quam in præcedente, quoniam illa motio et necessitas ejus aliena est a mente Concilii; nam in illo decreto et canone solum requirit excitantem et adjuvantem gratiam ad liberum consensum præstandum, et excitantem ponit in inspirationibus et illuminationibus Spiritus Sancti; adjuvantem vero in cooperatione ejusdem Spiritus Sancti per se ipsum vel gratiam suam. Illa autem gratia seu motio, non est gratia excitans, quia non consistit in operatione vel illuminatione, qui sunt actus vitales, per quos vel intellectus aliquid percipit, vel voluntas ad aliquid afficitur. Illa autem motio non est vitalis actus cum a solo Deo imprimi dicatur; unde per illam nihil voluntas vult, formaliter loquendo, sed tantum movetur ut velit. Neque etiam illa motio est gratia adjuvans; nam gratia adjuvans ut sic nihil facit in homine sine homine; nam qui adjuvatur (ut dixit Augustinus) aliquid sponte conatur. Et ideo influxus causæ adjuvantis cooperatio dicitur. At illa motio dicitur fieri a solo Deo, et se solo facere in voluntate determinationem ad unum; non est ergo gratia adjuvans; ergo neque necessaria est, neque consentanea doctrinæ Concilii, quod sine dubio omne auxilium gratiæ necessarium ad bene operandum nobis tradidit.

Quod si fortasse dixerint Concilium tradidisse gratias illas quæ sunt principia proxima operandi, vel quæ actu operantur seu juvant potentiam, ut principia proxima supernaturalium actuum; aliam vero motionem requiri

ex parte universalis concursus primæ causæ, quem supposuit Concilium, quia de illo nulla erat controversia, et quia, suppositis aliis gratis et principiis, ille concursus est debitus, quamvis in se supernaturalis sit; qui hoc (inquam) dixerint, fateantur necesse est illam motionem non esse præviam, sed cooperantem, quia concursus divinus in omni actione causæ secundæ hujusmodi est, quia debet essentialiter includi in ipsamet actione creaturæ; et quidquid ultra hoc ponitur superfluum est, et sine fundamento fingitur, ut in libro primo de Auxiliis late est ostensum; nam quoad hoc concursus ad supernaturales actus servat eandem proportionem ad causam secundam, quamvis in suo esse altior et perfectior sit, quam concursus cum causis naturalibus. Et ob eandem causam non potest tribui huic concursui major vis prædeterminans voluntatem ad actum supernaturalem, quam concursui ordinis naturæ ad prædeterminandam eandem voluntatem ad actus naturales, tam bonos quam malos. Et ita hæc efficacia non pertinet ad doctrinam de gratia, sed de concursu primæ causæ, cui illam generaliter vel essentialiter tribuere est profecto libertati hominum ex ista una parte, et ex altera sapientiæ et bonitati Dei contrarium, et non habet in philosophia vel Theologia probabile fundamentum. Denique si ille concursus debitus est, suppositis aliis principiis et conditionibus antecedentibus ad illum, quomodo non datur omnibus habentibus talia principia et antecedentes conditiones? Nam si omnibus daretur, omnes operarentur; non autem operantur omnes; ergo non omnibus datur. Unde vel fatendum est, vel omnes, qui supernaturaliter non operantur, carere non solum actuali concursu Dei, sed etiam aliquo antecedenti principio vel conditione necessaria, ac proinde non habere sufficientem gratiam; vel negari eis concursum debitum ex vi antecedentium principiorum, quod est monstruosum vel miraculosum, et non minus redundat in insufficientiam gratiæ, nec minus excusat a culpa omnes illos qui propter hanc causam operatione carent.

Atque hinc transitum facere possumus ad aliud principale argumentum, quod ex alia doctrina ejusdem Concilii Tridentini pro nostra sententia desumimus. Docet enim idem Concilium, eadem sess. 6, cap. 11, divina mandata non esse ad observandum impossibilia, nam Deus jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut

possis. Unde cum alias constet ex doctrina ejusdem Concilii et aliorum, non posse hominem servare divina præcepta supernaturalia, neque aliquod illorum, supernaturales actus præcipientium, aperte sequitur ex doctrina Concilii omnibus hominibus præsto esse gratiam, qua possint talia præcepta implere, alias hæc præcepta respectu hominum carentium sufficienti gratia illis jubeant impossibilia, ac proinde sequetur, vel illis non imputari quod ea non observent, quod est aperte contra Scripturam vel Ecclesiæ sensum, vel imputari homini ad culpam quod facere non potest, quod est contra doctrinam Concilii, et omnem naturalem rationem. At vero, si prædeterminatio voluntatis hominis ad implendum præceptum necessaria est ad talem actum, et a solo Deo danda est, nec est in hominis libertate, necessario inciditur in illud absurdum, quod homini, cui non datur talis determinatio, præcipiatur impossibile. Probatur, quia impossibile est hominem implere præceptum, nisi Deus voluntatem ejus ad hoc prædeterminet; sed Deus hoc non facit, nec est in potestate hominis facere ut Deus id faciat; ergo præcipitur homini id quod non est in potestate ejus, nimirum, ut suam voluntatem determinet ad observantiam præcepti, vel ut sine ulla prædeterminatione præceptum observet. De quo argumento multa in superioribus dicta sunt.

Hoc confirmat quod in eodem capite idem Concilium subjungit, Deum non deserere hominem, nisi prius deseratur ab ipso. Quod licet de justis peculiariter asseratur a Concilio, tamen universaliter verum est, maxime loquendo de desertione, per quam negantur vel non dantur necessaria ad salutem, vel ad non peccandum, et tamen neque in ipsis justis vera esset illa propositio Concilii, si auxilium physice prædeterminans esset necessarium ad observandum præceptum; nam omnis justus, quoties mortaliter peccat, caret tali auxilio omnino necessario ad salutem; caret autem illo, priusquam ipse Deum peccando deserat; non enim caret illo auxilio quia peccat, sed peccat quia caret illo auxilio. Nam in causis adæquatis, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis; sed illud auxilium dicitur esse unica causa efficax, et necessaria ut voluntas hominis determinetur ad observandum præceptum; ergo carentia talis auxilii est causa non observandi, vel non habendi determinationem voluntatis ad observandum præceptum; ergo quoad hoc negotium deserit Deus justum,

priusquam deseratur ab ipso. Nec dici potest quod Deus, privet justos tali auxilio propter aliquem priorem abusum gratiæ; quia vel ille prior abusus talis est ut mereatur amissionem gratiæ, et sic jam ille homo non esset justus, et ante illum abusum haberet carentiam auxilii necessarii ad non peccandum, nam ille abusus non posset non esse peccatum mortale; vel non est talis ut tollat gratiam sanctificantem, et ratione illius dici non potest justus simpliciter deserere Deum; ergo nec ratione illius deseretur ab ipso. Et præterea, ante illum abusum supponeretur ex parte Dei proportionalis desertio, negando scilicet justo auxilium efficax ad usum bonum illi abusui contrarium. Atque ita prima radix perditionis justis semper refunderetur in Deum, quod ab omni pietate et Sacrae Scripturae testificatione alienum est; quanquam non desint qui reipsa id admittant, contra quos satis in superioribus disputatum est.

Eodem modo induci possunt verba ejusdem Concilii, capite decimo tertio, ubi, postquam docuit neminem sibi posse absoluta certitudine donum perseverantiæ polliceri, subdit: *Tametsi in Dei auxilio fortissimam spem collocare ac reponere omnes debent.* Quæro enim de quo auxilio loquatur hic Concilium, an de sufficiente tantum, vel de efficaci. Non quidem de priori: nam qui sufficiens solum auxilium ad perseverandum a Deo speraverit, de ipsa perseverantia desperare poterit; non enim perseveratur per auxilium tantum sufficiens, sed per efficax. Concilium autem loquitur de perseverantiæ dono; ergo in illis verbis loquitur de auxilio efficaci. Quomodo autem possunt omnes justis firmissima spe tale auxilium a Deo sperare, si multis et quam plurimis Deus ex se et sola sua voluntate illud negat? Item, firmissima spes esse non potest, nisi fundetur in aliqua promissione divina vel absoluta, vel saltem sub conditione aliqua; certum est autem non promississe Deum absolute auxilium efficax ad perseverandum, alioqui semel justificatus non posset a gratia finaliter cadere, quod hæreticum est; ergo oportet ut saltem sub aliqua conditione, quæ in potestate hominis sita sit, illud omnibus promiserit, alias non possent omnes illam firmissimam spem concipere. Conditiõ autem illa non potest esse alia nisi quam idem Concilium statim repetit quod, *nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere.* Est ergo positum in manu hominis

ut Deus in ipso operetur velle et perficere, quia si ipse non desit gratiæ Dei, quod revera potest, ut Concilium aperte supponit, Deus in ipso operabitur velle et perficere; ergo est in manu et potestate hominis habere auxilium efficax, nam per hoc operatur Deus in nobis velle et perficere; ergo repugnat huic doctrinæ Concilii, dicere Deum non offerre omnibus, quantum ex se est, auxilium efficax, sed sola sua antecedenti voluntate et beneplacito voluisse quibusdam dare, et reliquis simili voluntate ex seipso denegasse.

Atque hic locus Concilii evidenter refutat illorum interpretationem ad illud dogma Concilii: *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso;* quod nimirum intelligatur de desertione, quoad ablationem gratiæ sanctificantis, non vero quoad denegationem gratiæ efficaciæ. Nam, si hoc ita est, quomodo in illo dogmate fundat Concilium firmissimam spem quam omnes reponere debent in Dei efficaci auxilio? ergo evidenter loquitur de desertione quoad tale auxilium, docetque non incipere a Deo, sed ab homine. Quod ipsa etiam verba Concilii in hoc loco evidenter ostendunt; non enim dicit: Deus, nisi gratiæ suæ ipsi homines defuerint, non tollit illam; sed dicit: *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cepit bonum opus, ita perficiet;* perficiet autem per auxilium efficax; ergo etiam quoad hoc auxilium non deserit Deus hominem priusquam deseratur ab ipso. Non ergo consistit auxilium efficax in actione solius Dei, cujus effectus non pendeat aliquo modo ex libero arbitrio, neque in motione aliqua, quam non possit liberum arbitrium cassam reddere; nam revera in præsentis negotio deesse gratiæ Dei, nihil aliud est quam non cooperari vocationi ejus, quæ plane esset efficax si homo non deesset gratiæ Dei. Et ita quoad actualem efficaciam Deus non deserit hominem, nisi quia ipse homo deest gratiæ Dei.

Nec refert quod Concilium illo loco de solis justis loquatur, nam admonitio Concilii cum proportionem sumpta locum habet etiam in peccatoribus; timere enim debent, et non sibi polliceri reparationem post lapsum, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocari et reponere omnes debent. Nam, ut idem Concilium statim, cap. 4, docet, qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari possunt, cum, excitante Deo, amissam gratiam recuperare procuraverint. Neque aliter possumus illam fir-

missimam spem concipere, nisi intelligamus ex parte Dei paratum nobis esse auxilium efficax ad veram pœnitentiam concipiendam, si per nos non steterit; ergo, sicut efficax auxilium ad perseverandum, ita etiam ad se convertendum (et idem est de quolibet opere pietatis necessario ad salutem) est in hominis potestate. Hoc autem manifeste repugnat dogmati de efficacitate auxilii, quæ in sola physica prædeterminatione consistat, et a sola libera Dei voluntate dependeat sine ullo respectu ad liberam hominis cooperationem, qualis necessario ponitur si tota determinatio voluntatis humanæ in sola Dei voluntate posita est, ut in superioribus satis est demonstratum.

Præterea, in eodem Concilio expendo doctrinam capit. 16, ubi inter alia docet Christum Jesum, tanquam caput in membra, et tanquam vitem in palmites, in justificatos jugiter virtutem influere; quæ virtus bonorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur. Et subjungit: nihil ipsis justificatis deesse amplius credendum est, quominus talia opera digna sint vita æterna. Ergo cum sine auxilio prædeterminante divina gratia intelligatur antecedere, comitari et subsequi, alienum est a mente Concilii dicere, præter illas gratias, desiderari tale auxilium prædeterminans, ut justus possit coram Deo bene mereri. Nec vero quis existimet, quia Concilium tria enumerat, aliquid addere duobus auxiliis excitanti et adjuvanti, quæ superius tanquam sufficientia posuerat; nam in hoc loco gratia antecedens et comitans eadem est cum excitante et adjuvante, et ad quodlibet opus sufficit; subsequens vero ad multiplicandum opus bonum seu perseverandum in opere bono necessaria est. Illa vero in re ipsa etiam est excitans vel adjuvans, et antecedens vel concomitans illud opus ad quod perficiendum datur, solumque addit respectum ad aliquam priorem gratiam a qua subsequens denominatur.

Addidit vero subinde Concilium quod, licet bonis operibus magna merces in Sacris litteris promittatur, *non propterea habet homo unde in se ipso gloriatur, et non in Domino, cujus tanta est bonitas erga homines, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Jam vero explicaverat quomodo bona opera sint dona Dei, scilicet, quia ipsius gratia ante illa præcedit, et illa comitatur ac subsequitur; unde qui hæc omnia de suis operibus bonis confitetur, non in se, sed in Domino gloria-

tur, etiamsi prædeterminantem gratiam non agnoscat. Illam enim Concilium non requirit, ut talia opera sint dona Dei; alioqui non solum in se, verum etiam neque in Domino posset homo gloriari, nam ut homo gloriari possit, debet esse gloria dignus, saltem ut præparatus et adjutus a Deo. Si autem homo non operaretur, nisi omnino prædeterminatus a Deo, nulla esset gloria vel laude dignus, quia nec determinari ad talem actum homini gloriosum est, quia non opus illud operatur, nisi solus Deus; neque etiam, postquam determinatus est ad unum opus, illud operari laudabile est, cum jam non sit in ejus potestate non agere; ergo cum, non obstante omni gratia requisita ut nostra bona opera sint dona Dei, retinere debeant aliquam proprietatem, ratione cujus homini sint laudabilia et gloriosa in Domino, plane fatendum est motionem illam prædeterminantem ad illa opera necessariam non esse.

Tandem expendi potest canon sextus ejusdem sessionis: *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive tantum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, anathema sit.* Est enim considerandum auctores illius motionis efficaciæ non minus illam exigere, ut humana voluntas malos actus efficiat quam bonos, quamvis eam solum in supernaturalibus actibus vocent gratiam, in aliis generalem motionem primæ causæ. Utcumque autem vocetur, ex illa imprimis sequitur non esse in potestate hominis vias suas malas facere, quia non est in potestate illius se determinare ad malum faciendum, sed solum Deus est qui illum determinat, et postquam determinatus est, jam non est in potestate illius vias suas malas facere, sed est in necessitate illud malum faciendi, ad quod determinatus est; nam quod ait Concilium, esse in potestate hominis vias suas malas facere, de potestate libera intelligit, qua possit se flectere ad faciendum malum, ita ut hoc sit proprium opus ejus, non Dei, quia, licet cum voluntate concurrat, non tamen proprius auctor est determinationis ejus ad malum. Quod deinde etiam sequitur ex necessitate illius prædeterminationis; quia si Deus solus est qui voluntatem determinat ad malum opus, profecto propriissime dicetur facere et efficacissime facere, ut voluntas faciat tale opus; ergo cum omni proprietate dicetur tale opus